



**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1682**

15. Dies Maii. Experimento probatum est, Acediæ impugnationem non declinando fugiendam, sed resistendo superandam. Cassianus. I. 10. 6.

25.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

Majus.

Tessera.

367

dum dum aliis desierit , sibi ipsi irasci : nam antequam alios laedat, se maectat. Quid vis iracunde, id est insane ? Vindicta damnum restaurare ? Duo sunt mala in hoc, quod irasceris : damnum tuum, scelus alienum. Utrum horum reparare vis ? Neutrum refarcis. Damnum tuum alieno non tollitur : scelus alienum tuo non deletur, provocatur potius. Ineptum igitur est remedium mali, vindicta ; nullum tollit, tollenda duplicat. Prælibata hactenus, tessera fecere fidem , quam sic ut fibula clando :

*Multum deliras, diras dum surgis in iras.*

## 15. DIES MAII.

Experimento probatum est, Acedia impugnationem non declinando fugiendam, sed resistendo superandam. Casianus. l. 10. 6. 25.

Acedia. I.

**Q**uod est vesti tinea , hoc est menti Acedia. Sensim , sed sine sensu, exedit spiritum , enervat spiritus robur , consumit robotis vigorē. Sicut animus ad pias functiones, non ut anteā vigeat , sed totus rigeat. Homo in Dei obsequio deset, nunquam erit ipsius Regni hæres. Si non facet in molli lecto scientia, multò minus gloria. Omnis desidiosus , sibi ipse est odiosus. Quid enim præsumet de sua charitate, qui nihil grave pro se velit sustinere? ubi amor sine auctoramento suo patientia?

Quale

Quale ribi bonum amas, qui ut consequaris æternum bonum, nolis pati momentaneum malum? O væcordem, & fæcordem! qui non capis, nec sapis quæ suprà corpus sunt spiritualia, suprà terram cœlestia, suprà hominem divina, suprà tempus æternum. Solum malum non admittere, non habet laudem, nisi mali abstinentiam etiam gloria boni operis consequatur. Deum non tam laudamus sermone, quam actione. Sicut mare, & terra, & cœlum Deum non tam voce, quam officiorum suorum vicissitudine, atque observatione laudant.

II. Uter equus utilis est, qui perpetim manet in stabulo, & saginatur avenâ, an qui ad sudorem usque exercitetur in arena? Utra navis, an quæ navigat in æquore, an quæ permanet in littore? Utra aqua, quæ fluit, an quæ stagnat? Quis gladius, qui semper cluditur vaginâ, an qui vibratur sæpè per aëra? Nonne qui sæpè è vagina exeritur, instar argenti splendor, alter rubigine squallet? Idem est in animo desidioso: illa enim in Divinis obsequiis pigredo, est quasi quædam rubigo, quæ virtutis splendorem obfuscatur. Necesse est illam rubiginem detergere nobilissima cotelaboris: sine hac coteacies mentis est hebes; adeoque luxuriantem vitiorum silvam rescindere non poterit. Quod aliud est negotium hominis torpeatis, quam sedere in foro, olcitare in lecto, voluntari in cœno, hærere in luto? Quod si se moveat in studio, id fit in cursu, sed gradu, imò passu: spectaculum exhiberet dignius ritu, quam plausu: is qui certaturus cursu in studio, simul cum aliis æmulis descendens, si cæteris toto pedum nisu cur: rentibus, ipse incederet pedentem, aut testudineo gressu,

gressu. Spectaculum sumus, quia à tota cœlesti curia spectamur: & dum spectant, quid aliud expectant, quam ut perniciissimo motu feramur per stadium, ut comprehendamus bravum, & tu hæres in carceribus, tam latus ut curras pedibus, quam s' cors manibus?

III. *Similis est dilectus, electus è millibus, (a) caprae, hinnuloq; cervorum: tū tam es dissimilis capreæ, quam similis cochleæ: illa salit, hæc repit; illa raptur per juga montium, hæc radit humile solum. (b) Sicut ostium vertitur in cardine suo, sic piger in lectulo suo. Ostium cùm vertitur, movetur, & non moveatur. Movetur, quia vertitur; non movetur, quia semper in eodem est cardine, non dimovetur loco. Sic homo s' cors præstat aliqua opera, sic tamen ut perdat operam, quia operando quasi feriatur ab omnī opere, dum nihil proficit, semper enim in eodem gradu hæret, peccandi occasiones non deserit, pericula non declinat, pravos affectus non moderatur, & sic cunctando amittit cuncta. Sudat dum manducat, alget dum laborat. Totus illi spiritus est paralyticus: Non potest movere manus, ut eroget eleemosynas, nec pedes, ut currat per viam mandatorum Dei; nec oculos, ut suspiciat Cœlum; nec cor, ut aspiret ad Deum; nec lingueam, ut loquatur magnalia Dei. Denique non potest se movere ad illum opus, quo mereatur minimum incrementum vel gratiæ, vel gloriæ. Sic vitâ agit nihil agendo, donec animam agat. Quid supereft illi, qui noluit, cùm potuit, uti ad currendum pedibus, ad laborandum manibus, quam ut ligatis manibus, & pedibus*

Pars II.

Aa

pro-

(a) Cant. 2. (b) Prov. 26.4.

projicitur in tenebras extiores ? Igitur excolea-  
grum, ut referas fructum. Enimverò :

*Fructus non sit multus, ager si non bene cultus.*

## 16. DIES MAII.

**N**on accepimus brevem vitam, sed feci-  
mus, nec inopes ejus, sed prodigi su-  
mus. *Seneca de brev. vit. c. 1.*

Otium. I.

**D**amna otii non obiter expen-  
denda sunt, sed cum otio. Il-  
lud vitam etiam ad lucta-  
multa, & Olympiades pro-  
gatam, reddit brevem: quia otiosi vita, cùm nullius  
sit metiri, nullius quoque est pretii. Nam tempus o-  
tiosè impendere, est temporis pretium, quod est ma-  
jus omni pretio, prodigere, otium vitiosum est tri-  
plex, quod tribus his punctis perstringemus. Primum  
est purum otium, quod ab omni seria actione est re-  
motum. Illo fruuntur, quorum animos libido effe-  
minavit, qui ut in alto mari, sine gubernatore, sine  
remige, omnibus ventis blandientis licentiae ad lan-  
guidam corporis oblectationem rapiuntur: qui ve-  
terno languidi, ignavia diffuentes, quasi nati conflu-  
mere fruges, pigritia emolliti, & delinimentis otioi-  
voluptatis, nihil boni honestique moliuntur: in iisu,  
in nugis, in fabellis pretiosum tempus occupant, in  
continua cessatione, inerti, vitiosâ, quasi jumenta in  
stercore suo computrescant. Illi tales, quæcumque  
Deus, vel natura, vel Ars aliqua illis ad obsequium  
dedit